



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 106. Parta victoria Hispanorum progressus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. exercitus degenerabat. Communis a-
A.C. 1513. deo erat cæforum clades, ut nonnisi Ve-
 netorum paucissimi victorum gladios ef-
 fugerent, sarcinis etiam, bellique tormen-
 tis Hispanorum arbitrio penitus reli-
 ctis: In acie autem cæsa sunt Veneto-
 rum peditum quatuor millia, quadringen-
 ti vero cataphracti interfecti. Capti
 sunt Balionius, & Lauredanus Reipubli-
 cæ Provisor & sægre admodum Livianus
 Patavium fuga contendit, nec Grittus
 securitati suæ cautum existimabat, do-
 nec Tarvisii propugnaculis exciperetur.

§. CVI.

*Parta victoria Hispanorum
progressus.*

Marian. l. 30
n. 99. **A**cepto cladis nuncio Venetis opinione
 minor erat consternatio, tantumque
 abfuit, ut Respublica Livianum erroris
 argueret, quin etiam ad eundem duos
 Senatores ceteris magis spectatos able-
 garet, qui suam eidem prudentiam gra-
 tularentur, qua in tanto periculo consti-
 tutus, ubi totius exercitus exitio nil pro-
 pius esse videbatur, saltem illius partem
 omnino indemnem servasset. Hæc
 tamen eadem dies, quo secundior Hi-
 spanis, eo magis funesta Venetis acci-
 dit; ab illo enim tempore omnium nu-
 tabant animi, cunctaque victoribus victas
 dabant

dabant manus, nam Vicentini ultro Hispanis urbis suæ portas aperiebant, ubi Prorex aliquot dierum spatio copiis suis quietem, ac vires reficiendi copiam indulfit, & Arx Bergomensis, quæ hucusque immota in Reipublicæ obsequio perstitit, impetu facto Hispanorum armis cessit, qui tamen Paulum Balonium libertate donarunt, ea lege, ut sacramenti religione fidem suam obstringeret, se in captivitatem rediturum, si Veneti captivorum comutatione facta Alphonso Carvajalo ab Epirotis, & Mercarino in Patavina obsidione capto libertatem reddere cunctarentur. Attamen Carvajalo in vinculis demortuo Balonius ad captivitatem reverti neglexit, illius morte a juratæ fidei religione solutum se existimans. Denique Mediolanensis arx post longam, eamque pertinacem obsidionem die vigesima Novembris deditioem facere compulsæ est, ac Cremonensis quoque eodem pacto Hispanis subjecta fuit. Igitur Galli denuo ex Mediolanensi Ducatu expulsi, totam Longobardiam victorum potestati relinquere cogebantur, ipsis non nisi unica Lanternæ arce relicta, quæ tamen Genuam urbem in officio continuit, ipsisque Genuensibus permolesta exstitit.

Sæcul. XVI.

A.C. 1513.